

sibi vias adeò occultas & dissitas quærat. Hæc cum cuidam medico communicassem, negabat vomitu posse clysteres rejici, & contrarium non solum affirmabat, sed pro re ridicula id aliis enarrabat, donec apud Sennertum ei ostendi non solum clysteres, sed etiam suppositoria filis alligata, imò & fragmenta candelarum vomitu rejecta fuisse. Quod quidem fieri potest valvulis intestini cœci à Natura debilitata laxatis, aliter enim (utpote integra sanitate fruentibus) clysteres ad os pervenire non possent.

Pleuriticos etiam Davidem, & Jeremiam Tornerios ejusmodi mictu puris curatos vidit D. Isaac Riverius, Medicus peritissimus Mazametensis prope Castra.

Remedium Epilepsiam minuens.

OBSERVATIO XVIII.

PULvere feminis saponariæ ante paroxismos sumpto, semel in mense per tria novilunia ad drag. i. observavi paroxismos valde minui, tum numero, tum violentia. Idque in filia 25. annos nata tentavi, cum felici successu.

Nota etiam hanc herbam signaturam hujus proprietatis habere, spumam enim, si in aqua fricetur, saponis instar emittit (unde ei nomen inditum) sicque spumantibus Epilepticis confert.

C 3

Rutæ